

etiam tam facile recusari, sicut delegatus; et cur? Jurisdictio ordinaria est cuiusmodi naturalis; delegata vero accidentalis, et superinducta. — Septimo differunt: quia quamvis iudex ordinarius ut suspectus, saltem de jure canonico, recusari possit, c. Si quis contra, 4, de Foro compet. tamen causae illae, ex quibus posset recusari delegatus, non semper sufficiunt ad recusandum ordinarium, sed debent esse de gravioribus. Hostiensis in Summa, l. t. § de Recusatione iudic. delegat. n. 3; Engel, tit. de Offic. iudic. ordin. num. 5, et alii. Ratio est: quia delegata jurisdictio cuiusmodi est accidentalis, et superinducta; contra jurisdictio ordinaria est naturalis, et vi proprii officii competens, ut in simili tradit Glossa in Clem. ult. §. Nolumus, de Offic. iudic. ordin. Atqui natura fortior est accidente, § Sed naturalia. Instit. de Jure natural. gent. civil.

54. VIII. Appellatione Magistratus, non venit delegatus, sed tantum ordinarius. Alia differentiae. Remissive. — Octavo differunt: quia appellatione Magistratus non venit delegatus, sed tantum ordinarius. Maranta, cit. part. IV, dist. 5, num. 49, post Paulum de Castro, et Alexandrum in l. Eum qui, ff. de Jurisd. omn. iudic. Tacenter plures aliae differentiae, quae partim ex dicendis patent, partim apud Marantam loc. cit. et alios, videri possunt.

§ III.

DE POTESTATE DELEGANDI, QUIQUE POSSINT ESSE JUDICES DELEGATI.

55. Iudex ordinarius potest regulariter causam ad se pertinentem alteri delegare. — Quaeritur I. An iudices ordinarii habeant potestatem delegandi? Resp. I. Regulariter loquendo, seu nisi causae qualitas aliud deponat, potest iudex ordinarius, seu is, ad quem causae definitio jure ordinario pertinet, eam alteri delegare. Patet hoc ex c. Cum episcopus, 7, de Offic. ordin. in 6. ubi ex eo, quod episcopus in tota diocesi jurisdictionem ordinariam habeat, indubium esse concluditur quod in quolibet suae diocesis loco non exempto, per se, vel per alium, hoc est, a se delegatum, possit pro tribunali sedere. Concordat textus in l. More majorum, et l. Solet, ff. de Jurisd. omn. iudic. ubi is suam jurisdictionem delegare posse censetur, « qui eam suo jure, non alieno beneficio habet, »

ut Papa respectu totius orbis christiani, Imperator in imperio, Rex in suo regno, imo et praetor, magistratus et quilibet iudex ordinarius respectu proprii territorii. Nam cum isti propter causarum ad se devolutarum multitudinem, locorum distantiam, et alia rationabilia impedimenta, non semper sufficienter ad omnes causas per se ipsos agnoscendas, ac decidendas; hinc ob bonum commune subditorum, ac ipsomet jure sic permittente possunt earum cognitionem aliis delegare, sicque de ipsis vel per se, vel per alios iudicare; ac procedit tunc reg. 72 juris in 6. « Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum, » cum similibus.

56. Non tamen totam suam jurisdictionem, inconsulto principe. — Resp. II. Nihilominus iudex ordinarius non potest totam suam jurisdictionem, inconsulto principe, alteri delegare. Ita Felinus in c. Super questionum, § Si vero, n. 17, de Offic. delegat.; Maranta, part. IV, Specul. dist. 5, n. 55; Sanchez, lib. III, de Matrim. disp. 31, n. 12; Pirhing, h. t. n. 3, et alii; tum quia committendo alteri totam suam jurisdictionem, non tam censetur delegare, quam officio suo ordinario sese abdicare; quod nequit fieri inconsulto principe, l. penult. cum ibi notatis, ff. de Offic. praesid.; tum quia iudex inferior principe non potest propria auctoritate loco sui alium iudicem ordinarium constituere; id enim est singulare privilegium competens supremae potestati principis, lib. II, Feud. tit. 56, Quae sint regalia. Hoc autem fieret delegando totam suam jurisdictionem, sicque nihil sibi reservando; ergo.

57. Delegatus principis potest alteri causam subdelegare: non vero delegatus inferioris, nisi sit delegatus ad universitatem causarum. — Quaeritur II. Utrum iudex delegatus habeat potestatem subdelegandi? Resp. I. Delegatus principis potest alteri causam subdelegare, non autem delegatus alicujus inferioris absque speciali hujus concessionem; nisi sit delegatus ad universitatem causarum. Ita Glossa in c. Cum causam, 62, §. Delegatus de appellat. et ibi Abbas n. 4, et Fagnanus n. 2, et seqq. aliique passim, contra Bartolum in l. More majorum, n. 41, ff. de Jurisd. omn. iudic. ubi contra alteram partem conclusionis tenet, quod etiam delegatus inferioris ad unam causam, possit eam delegare: sed ejus opinio communiter reprobat. Siquidem

58. Delegatus principis potest alteri causam

subdelegare: non vero delegatus inferioris, nisi sit delegatus ad universitatem causarum. — Prima et secunda pars satis clare habetur ex textu cit. c. Cum causam, § fin. de Appellat. ibi: « Cum non nisi delegatus a principe causam alii valet delegare: » ac proinde delegatus inferioris aperte dignoscitur esse exclusus, cum non nisi delegatus principis (nam de delegato ad universitatem causarum alia jura idem affirmant) haec potestas competere dignoscatur, ac delegato inferioris alias nullibi idem concessum esse reperitur: nisi forsitan cuiusmodi talis potestas in delegatione sua expresse fuisset concessa. Accedit ratio: quia, si quilibet delegatus causam alteri subdelegare valeret, si posset hic iterum eam delegare tertio, ac iste quarto, et sic daretur processus in infinitum: atque infinitas est a jure reprobata, c. Cum in multis de Rescrip. in 6. junctis concordantiis ibidem a Glossa, §. Multis, relatis.

59. Et quae ratio disparitatis inter delegatum principis, et inferioris? Principis nomine quis intelligatur? — Nec urget, quod delegatus principis possit subdelegare; tum quia hinc nulla sequitur infinitas, cum illico in primo subdelegato detur status; tum etiam, quia delegatus principis (ut puta Papae, Imperatoris, Regis, aut alterius, qui superiorem saltem in temporalibus non recognoscit, quales sub nomine Principis, intelliguntur ut explicat Abbas in c. Pastoralis, n. 2, h. t.) Antonellus de Regim. Eccles. lib. V, cap. IX, propter eminentiam supremae potestatis principis, cujus personam ille representat, ex speciali dispositione ab ipsomet jure concessum fuit, ut in casu legitimi impedimenti, quominus causam per seipsum expedire valeat, possit hanc alteri subdelegare, vices suas committendo eidem; ut l. A iudice, C. de Judiciis, et c. Super questionum, 27, § Si vero, et cap. cit. h. t. et cit. c. Cum causam, 62, de Appellat. et alibi.

60. Delegatus Papae nequit subdelegare causas graves. — Intellige, dummodo causae non adeo sint graves, ut sine ipsius delegati praesentia non possint commode terminari, c. Si pro debilitate, 3, h. t.; quia pro causis tam gravibus praesumitur electa a principe industria ipsius delegati, ejusque fides specialis, cap. ult. § Is autem, h. t. et c. Is cui eod. in 6. sicque causas ejusmodi alteri subdelegare nequit. Idemque dicendum, quando delegatus per se, vel suis manibus, causam expedire jussus fuit: quia tunc per talem

loquendi formulam designatur praecisa personalitas, sicque censetur electa industria personae, l. un § Ne autem, vers. Sin vero talis, c. de Caducis tollend.; Menochius, de Praesumptionibus, lib. II, praesumpt. 21, n. 7; Sperellus, decis. 106, Fori ecclesiast. n. 26, etiam negotium esset leve; Felinus in cap. ult. n. 3, h. t.; Antonellus, de Regim. ecclesiast. lib. V, cap. IX; Sperell. loc. cit. n. 3; Mascardus de Probation. concl. 595, n. 6. idemque fit, quando in delegatione fuit addita clausula: « Confidentes de industria, seu circumspectione tua, » etc. quia tunc pariter censetur electa industria personae. Abbas in c. Quoniam, 14, n. 8, de Offic. delegat.; Mascardus, cit. concl. 595, n. 4, Menochius, de Praesumpt. 21, n. 17; Sperellus, ubi supra, n. 56. Sicque delegatus ejusmodi non poterit subdelegare, aut per alium expedire, saltem partibus contradicentibus, vel si a Papa eidem motu proprio delegatio facta fuit. Alioquin enim, quando ad instantiam partium delegatio facta est, bene potest eidem consentientibus fieri subdelegatio, licet fuerit electa industria personae: nam quia tunc agitur de partium interesse particulari, procul dubio huic renuntiare poterunt, c. Si diligenti, 12, de Foro compet. estque expressum in cap. ult. § Is autem, ubi Innocentius, et Abbas numer. 2, h. t.; Sperellus cit. decis. 106, n. 58; Menochius, de Praesumpt. 21, n. 18, allegans alios.

61. Nec malitiose a causae discussione se exonerare. Istud tamen de eo non est praesumendum. — Deinde dicta prior pars conclusionis est intelligenda, dummodo ipsemet delegatus principis malitiose se non quaerat exonerare, seu a causae discussione subtrahere, c. Pastoralis, 28, § t. h. t. Ubi tamen Glossa, §. Exonerare, et doctores merito notant, non esse facile praesumendum, quod iudex delegatus malitiose causam alteri committat: tum quia dubia in meliorem partem sunt interpretanda, c. Estote de Reg. jur. et l. Semper in dubiis, ff. eod., tum quia de quolibet praesumendum est bonum, nisi contrarium appareat, c. Dudum, 16, de Praesumpt. et alibi. Atque ideo subdelegatio, per delegatum Papae facta, reverenter debet acceptari ab inferiore; nisi de dicta malitiosa ejus exoneratione appareat saltem per probabiles conjecturas, arg. cap. II de Renuntiat. in 6 et l. Dolum, c. de Eolo, cum similibus.

62. Delegatum ad universitatem causarum posse subdelegare, probatur. — Ultima tandem

pars conclusionis, sive quod delegatus ad universitatem causarum possit subdelegare, tenetur communiter, ut inquit Bartolus in cit. l. *More majorum*, n. 11. ff. *de Jurisdic. omn. judic.* eamque, præter auctores jam citatos, tradit Hostiensis in c. *Cum causam*, n. 3, et ibi Joan. Andreas in 6 et Barbosa, n. 5, *de Appellat.* et Sanchez, lib. III, *de Matrim.* disp. 31, n. 2, ac seqq. citans alios. Idque desumitur imprimis ex L. *Cum prætor*, ff. *de Judiciis*, ibi: « Is quoque cui mandata est jurisdictio, judicem dare potest: ut sunt legali proconsulum. » Ubi ly « mandata est jurisdictio, » debere accipi proprie, seu pro ea, quæ datur ad universitatem causarum, jam dictum est n. 14. et 15.

63. *Ipsè non est propriè ordinarius, huic tamen æquiparatur.* — Accedit ratio, quia, licet delegatus ad universitatem causarum, vere ac proprie non sit ordinarius; eo quod suam jurisdictionem non habeat jure proprio, seu a lege vi proprii officii, sed alieno beneficio, ut notat, et amplius probat Jason in d. l. *More majorum*, n. 19, ff. *de Jurisdic. omn. judic.* Nihilominus quia ipse remanet in essentia jurisdictionis universalis, et tanquam judex ordinarius adiri potest: hinc delegatus ad ad universitatem causarum quasi ordinarius videtur. Glossa incit. c. *Cum causam*, §. *Delegatus*, et ibi Fagnanus n. 4, *de Appellat.* cum aliis. Atque æquiparatur ordinario, arg. L. ult. §. fin. c. *Ubi et apud quem*, etc. et tenet Glossa L. ult. §. *Cum specialis*, c. *Judic.* Bartolus in d. l. *More majorum*, n. 5; Alexander, consil. 12, n. 4, lib. VI; Maranta, part. IV. *Speculi*, dist. 5, n. 55. Ac proinde, ac instar ordinarii, poterit subdelegare unam vel alteram causam, licet non possit delegare, seu in alium transferre universam jurisdictionem suam. Barbosa in d. e. *Cum causam*, n. 5 *de Appellat.* Nam etiam ordinarius istud non potest facere inconsulto principe, ut proxime dictum.

64. *Delegatus ad causam particularem inferioris a principe, nequit subdelegare articulum jurisdictionalem.* — Resp. II. Quamvis delegatus ad causam particularem inferioris a principe, non possit subdelegare articulum, aliquem jurisdictionalem, potest nihilominus is subdelegare articulum non jurisdictionalem. Ita Glossa fin. in Clem. un. h. t.; Abbas n. c. *Super questionum*, n. 9, h. t. post Hostiensem et doctores communiter; Maranta, d. distinct. 5, n. 54; Sanchez, lib. III, *de Matrim.* disp. 31, n. 10, citans alios. Prior pars

patet ex dictis, n. 58, et ibi allegato textu ex c. *Cum causam*, 62, *de Appellat.* ubi nonnisi delegatus a principe causam alii valet delegare: idem ergo dicendum de quocumque articulo jurisdictionali. Alioquin enim, si posset committere unum, posset et alterum subdelegare, ac proinde parum vel nihil sibi reservare, per quod circumveniretur mandatum superioris. Nec obstat Clem. un. h. t. ubi judex super receptione testium deputatus, potest alteri eam delegare. Nam ibi expresse est sermo de delegato Papæ, non de delegato inferioris ad causam particularem.

65. *Bene tamen articulum non jurisdictionalem.* — Altera pars de articulo non jurisdictionali, præter auctoritatem doctorum jam legatorum, desumitur ex textu cit. c. *Super questionum*. §. *Nos autem*, h. t. ibi: « Si tamen delegatus a nobis, vel judex quicumque, qui non tam cognitorem, quam executorem ad aliquem certum articulum, quempiam deputaverit. » Ubi ponderandum ly « vel judex quicumque; » sicque concludendum, quod etiam delegatus inferioris ad causam particularem possit deputare executorem certi articuli. Nam, ut Glossa ibidem §. *Executorem*, recte notat, talis executor nullam habet jurisdictionem, sed tantum exequitur mandatum, v. g. investigando super aliqua exceptione, utrum testis sit admittendus, vel de alio consimili: et quod gestum est, aut si quid dubii fuerit, ad delegatum referendo. Sic enim exequitur nudum ministerium, non autem exercet quemdam actum jurisdictionalem.

66. *Generatim, qui possint esse judices delegati?* — Quæritur III. Qui possint esse judices delegati? Resp. I. Generatim loquendo illi omnes possunt esse judices delegati, ipsisque causarum cognitio valet demandari, qui nec natura, nec lege, nec moribus prohibentur. Patet hoc ex l. *Cum prætor*, ff. *de Judiciis*, et can. 1, §. *Tria sunt*, 3, q. 7. ubi dicitur non omnes posse dari judices ab iis, qui judices dandi jus habent: quidam enim lege impediuntur, ne judices sint; ut infames, et senatu moti. Quidam moribus; ut servi, et foeminae: nam moribus, seu longeva consuetudine receptum est, ut civilibus non fungantur officiis. Et quidam natura; ut surdus, mutus, perpetuo amens, et impubes: quia tales carent judicio.

67. *Generatim, qui possint esse judices delegati?* — Huc faciunt vulgati illi versiculi, quos refert Hostiensis in *Summa*, h. t. n. 3,

ac breviter complectuntur condiciones in judice delegato requisitas, et sic sonant:

Liber, mas, gnarus, cui sit mens, integra fama. Etas, qui subsit: committitur huic bene causa.

Et quidem cæteræ particulae patent ex proxime dictis: additur tamen ly *gnarus*, et ly *qui subsit*; tum quia oportet, ut is, cui aliqua causa decidenda committitur, sit peritus, ac jura canonum non ignoret, simulque sit vir providus, cap. 1, *de Consanguinit. et affinit.* et c. *Cum R. canonicus*, 33, h. t.; tum quia non potest delegari invitus, nisi qui de jurisdictione delegantis est, c. *Pastoralis*, 11, *de Offic. ordinar.* ac tradit Hostiensis cit. n. 3, §. *Qui subsit*, istud probans ex L. 1. et l. *Jus dandi*, ff. *de Tutorib. et curatorib.*

68. *An causa possit delegari non subdito?* — Cæterum per hoc non negatur quin ordinarius possit causam ad se spectantem delegare non subdito, seu illi, qui non est de jurisdictione sua, dummodo ille acceptet. Sufficit enim quod causa pertineat ad jurisdictionem delegantis, licet is, qui delegatur, et delegationem tamen acceptat, non sit de jurisdictione ipsius, arg. L. un. c. *Qui pro sua jurisdict.* juncta Glossa ibid. §. *Resedissent*; textus et Glossa in cit. c. *Pastoralis*. §. *Nullam*; Zoesius, h. t. n. 14; Pirhing, tit. *de Offic. judic. ordinar.* n. 23, et alii. Verumtamen persona aliena non cogitur invitare parere deleganti, ut dictum, cum extra territorium jus dicenti impune non pareatur, cap. ult. *de Constitut.* in 6.

69. *Vel invito.* — Secus est dicendum de subdito delegantis: nam talis potest compelli etiam invitus, ac renitens ad acceptandam delegationem; ne alioquin inutilis videatur esse jurisdictio, ac potestas delegandi, competens judici ordinario, sive delegato principis. Quanquam adhuc delegans in tali coactione deferre debeat personæ, ac dignitati delegandi, ut in c. *Pastoralis*, 28, §. 1. h. t. notatur.

70. *Delegandus a Papa, vel subdelegandus, debet esse in dignitate ecclesiastica, vel personatu, aut canonicatu Ecclesiæ cathedralis. Quid dicendum de vicario generali episcopi, priore conventuali, et guardiano Fratrum Minorum?* — Resp. II. Delegandus a Papa, vel ab ejusdem legato aut delegato subdelegandus, debet esse constitutus in aliqua dignitate ecclesiastica, vel obtinere personatum aut canonicatum Ecclesiæ cathedralis, c. *Statutum*, 11, *de Rescript.* in 6; aut esse officialis, seu vi-

carius generalis episcopi, vel prior conventualis, Clem. *Et si principalis*, 2, *de Rescript.* Ubi sub nomine prioris conventualis, etiam comprehenduntur priores mendicantium, et guardiani Fratrum Minorum: nam etiam hi censentur esse in dignitate ecclesiastica, sicque possunt dari delegati Apostolici juxta Glossam in c. *Nullus*, §. *Praelaturam, de Election.* in 6; ac tenet Felinus, c. *Cum olim*, n. 1, *de Majorit. et obed.*; Jason in *Rubric.* ff. *de Offic. ejus, cui mandata est jurisdictio*, n. 9; Sperellus, decis. 167. *Fori ecclesiast.*, n. 14; Barbosa, part. III, *de Offic. et potest. episc.* alleg. 106, n. 15; Pignatellus, t. III, consil. 24. et alii. (ADNOTATIO LXV.)

71. *Vicarius foraneus episcopi, vel prior claustralis, nequeunt esse delegati Apostolici; et alioquin processus ipso jure est nullus.* — Oppositum est dicendum de vicario foraneo episcopi, vel priore claustrali, atque aliis religiosis: hi enim non possunt esse delegati, aut subdelegati Sedis Apostolicæ, cit. Clem. *Etsi principalis*, 2, *de Rescript.* Generaliter enim causa non debet delegari, aut subdelegari, auctoritate sanctæ Sedis Apostolicæ, nisi constitutis in dignitate ecclesiastica, vel obtinentibus personatum, aut canonicatum in Ecclesia cathedrali, juxta cit. c. *Statutum*, 11, *de Rescript.* in 6, et notat Abbas, consil. 93, n. 1, part. II. Et si secus fiat, delegatio, ac processus inde formati non valet, sed ipso jure est nullus, ac irritus, etiam nulla interveniente exceptione partis adversæ, cit. c. *Statutum*, §. fin. juncta Glossa ibid. §. *Committantur*, et §. *Ipsò jure*. Nisi talis delegatio fieret ex certa scientia principis, seu Papæ, hoc expresso, arg. c. *Cum olim*, 14, *de Privileg.* ubi Papa quemdam monachum delegasse legitur, ac notat Glossa fin. in cit. Clem. *Etsi principalis, de Rescript.*

72. *Secus est in episcopo: nam hic potest causam delegare simplici clerico, cæteroquin idoneo.* — Secus est in episcopo: nam episcopus non necessario tenetur delegare constitutum in dignitate, personatu, aut canonicatu cathedrali; quinimo potest causam aliquam delegare simplici clerico suæ diocesis, cæteroquin tamen discreto, et gnaro, arg. c. *Cum episcopus*, 7, *de Offic. ordinar.* in 6.

73. *Et quæ sit ratio disparitatis quoad hoc inter delegatum Papæ, et episcopi?* — Ratio diversitatis quoad hoc inter delegatum Papæ, et episcopi, est illa: quia episcopus

melius potest cognoscere suorum clericorum industriam, atque idoneitatem: unde si talem agnoscit majorem in simplici clerico, nihil prohibet, quin ipsum deleet. Secus est in Papa, vel ejus legatis, utpote longe distantibus: unde fit, quod si delegent solummodo eos, quos ipsa dignitas idoneos esse loquitur, seu presumere facit, quod sicut dignitate, ita et moribus, ac scientia cæteros antecellat: quanquam hodie pro majori cautela quædam tales personæ in synodo provinciali, aut diocesana designari jubeantur a concilio Tridentino, sess. 25, cap. x, de Reform.; Vallensis, h. t. § 3, n. 3 et 4, citans alios. Accedit, quod dignitas in delegato Papæ, aut legati ejus, videatur requiri ob favorem, ac majorem reverentiam sanctæ Sedis Apostolicæ, ne alioquin vilipendatur in suo ignobili ministro. Glossa in cit. c. Statutum, §. Committantur, de Rescript. in 6.

§ IV.

DE CAUSIS DELEGABILIBUS.

74. *Generatim omnes causæ possunt delegari, quæ ad jurisdictionem delegantis pertinent.* — Queritur I. Quæ causæ, seu negotia possint delegari. Resp. I. Generatim loquendo possunt delegari omnes causæ, atque negotia illa, quæ ad jurisdictionem delegantis pertinent: nisi quid specialiter sit exceptum, aut speciale qualitatem, vel industriam ipsius delegantis requirat. Ita in re communis. Et quidem prima pars habetur L. un. c. Qui pro sua jurisdic. ubi generaliter dicitur ea posse delegari, quæ « ad jurisdictionem pertinent delegantis: » videlicet ordinariam, non delegatam, nisi sit a principe delegatus, ut explicat Glossa, ibidem. Concordat textus in L. 1, ff. de Offic. ejus, cui mandata est jurisd. ibi: « Quæ vero jure magistratus competunt, mandari possunt. »

75. *Nisi specialiter sint exceptæ, aut in eis sit electa industria personæ.* — Altera vero pars desumitur ex c. Si pro debilitate 3, h. t. ubi delegatus Papæ non potest subdelegare causas, quæ ita sunt graves, ut sine ipso commode terminari nequeant. Concordat c. Pastoralis, 28, h. t. ubi delegato principis dicitur concessa a jure facultas dandi judicem, sive subdelegatum, sed cum hac limitatione: « Dummodo ipse exonerare seipsum malitiose non quærat, » estque jam

dictum paulo superius n. 60, et 61. Id ipsum liquet ex cap. ult. § Is autem, h. t. ubi plures exprimuntur casus, in quibus censetur electa fides, et industria personæ, sicque non possunt per delegatum Papæ alteri subdelegari: ut si cupiam Pontifex committat inquisitionem, vel provisionem de prælatis, aut aliis ministris alicui Ecclesiæ personaliter faciendam, et hujusmodi. Huc pariter facit textus in L. 1, ff. de Offic. ejus, cui mandata, etc., ubi causæ meri et mixti imperii prohibentur delegari, nisi in casu absentis. Verum de hoc proxime plura.

76. *Delegatus Papæ potest et totam causam, et partem ejus subdelegare.* — Resp. II. Delegatus principis, ut puta Papæ, non solum potest totam causam subdelegare, aliique decidendam committere, sed etiam partem ejus. Textus est in c. Super questionum, 27, § 1 et 2, h. t. ubi delegatus Papæ, ut parcat laboribus partium atque expensis, permittitur imprimis, aliis, vel aliis idoneis personis ecclesiasticis cognitionem causæ, ac testium examinationem committere, seu subdelegare, reservata sibi sententia. Deinde etiam, ut judicialis sententia liberius valeat exerceri, permittitur eidem, et principium, et finem, et medium causæ sibi commissæ, non solum conjunctim, sed etiam divisim, libere alii delegare. Concordat c. Pastoralis, 28, § Item cum, h. t. ubi delegatus Papæ potest et totum negotium alii committere, et partem, videlicet citationis officium. Item c. Judex, 5, h. t. in 6, ubi hoc ipsum delegato Apostolico permissum esse legitur, cum similibus.

77. *Notabilis differentia inter hunc duplicem subdelegandi modum.* — Est tamen notabilis differentia inter hunc duplicem subdelegandi modum. Nam si delegatus Papæ subdelegat, atque committit alteri totam illam causam particularem, ad quam fuerat delegatus, et subdelegatus jurisdictione sua uti cœperit, saltem citando partes, illico delegatus ille desinit esse judex in ea causa. Abbas c. Super questionum, § Porro, num. 1, h. t., eo quod jam functus sit officio suo, totam videlicet jurisdictionem suam respectu talis causæ transferendo in alium, seu in subdelegatum, c. Venerabili, 37, h. t. juncta Glossa, ibid. §. Vices suas: simulque dicta jurisdictio in subdelegatum efficaciter jam transierit, c. Quamvis, h. t. in 6, argumento a sensu contrario desumpto. Securum est, quando delegatus Papæ subdelegat so-

lolummodo partem causæ, seu aliquid de jurisdictione sibi reservat, arg. cit. c. Super questionum, § Porro, h. t. atque amplius patebit ex aliis differentiis hinc resultantibus, de quibus dicitur infra num. 139 et 140, ac n. 159 et 163.

78. *Principes supremi possunt delegare causas meri et mixti imperii.* — Queritur II. Utrum causæ meri et mixti imperii possint delegari? Hæc quæstio non procedit de supremis principibus (de his enim certum est, quod sive jure communi, sive speciali privilegio eisdem competente, possint aliis committere causas meri et mixti imperii; ut L. 1, ff. de Offic. ejus, cui mandata, etc.) sed solummodo de inferioribus magistratibus, seu iudicibus, ordinariam jurisdictionem, ac merum mixtumque imperium habentibus. Quo prænotato,

79. *Non item iudices inferiores, spectato jure civili. Quamvis hoc ipsum ex consuetudine non observetur.* — Resp. I. Spectato rigore juris civilis nequeunt causæ meri ac mixti imperii, per iudices ordinarios principis inferiores aliis delegari; nisi in casu absentis, infirmitatis, alteriusve justis impedimenti. Ita communis; et patet ex cit. L. 1, ff. de Offic. ejus, cui mandata, etc. ibi: « Quæcumque specialiter lege, vel senatus consulto, vel constitutione principum tribuantur, mandata jurisdictione non tribuantur, » etc. Ubi Glossa, §. Quæcumque, sub istis comprehendendi inquit ea, quæ spectant ad merum imperium, vel mixtum: quia in istis (extra casum absentis, qui in cit. L. 1, postmodum expresse excipitur, vel alterius consimilis justis impedimenti) censetur electa industria personæ, seu iudicum ordinariorum; ut inquit Julius Clarus in Pract. criminal., lib. V, § fin. quæst. 44, n. 1, allegans communem: quamvis addat, quod istud hodie non servetur, sed ex generali consuetudine indistincte omnes causæ meri et mixti imperii delegentur, etiam quoad ultimum supplicium. Utrum autem hoc ipsum procedat spectato jure canonico, adeo ut similiter de rigore hujus juris nequeant delegari causæ meri, vel mixti imperii, quæstio remanet: unde,

80. *Secundum canones possunt ab episcopis omnes causæ, etiam mixti, ac meri imperii delegari.* — Resp. II. Probabilis est, quod secundum canones possint omnes causæ ab episcopis, aliisque prælatis ordinariam jurisdictionem habentibus delegari, etiamsi sint

mixti, vel meri imperii. Ita Glossa in c. Quod sedem, §. Committere, et Abbas ibid. n. 4; Alexander, consil. 106, n. 21, lib. II; Maranta, part. IV, Speculi aurei, dist. 5, n. 67; Vallensis, h. t. § 2, et communior aliorum; contra Covarruviam, lib. III, Var. resolut. cap. xx, n. 4; Fachineum, lib. IX, Controv. jur. cap. xcix; Menochium, et nonnullos alios, quos sequitur Pirhing h. t. num. 52.

81. *Idque probatur multipliciter.* — Ratio conclusionis desumitur ex can. Illud, 23, q. 4, et cap. ult. Ne clerici vel monachi, etc., ubi expresse deciditur episcopos posse delegare causam sanguinis, quæ procul dubio ad merum imperium pertinet. Verum, quia facile responderi posset hoc esse speciale, eo quod episcopis, aliisque clericis causam sanguinis per se agitare non liceat absque incursione irregularitatis, de qua ibidem fit mentio;

82. *Id probatur multipliciter.* — Confirmatur conclusio ex c. Cum episcopus, 7, de Officio ordinarii, in 6, ubi episcopus in quolibet loco suæ diocesis non exempto, per se, vel per alium, potest pro tribunali sedere, clericos criminosos « capere, ac carceri deputare, nec non et cætera, quæ ad ipsius spectant officium, libere exercere. » Atqui ad officium episcopi spectant etiam ea, quæ sunt mixti, vel meri imperii; ergo etiam hæc non solum per se, sed et per alium, libere potest exercere, et consequenter hujusmodi causas alteri delegare. Concordat c. Licet, 2, de Offic. vicarii, in 6, ubi episcopus, si vult, potest vicario suo specialiter committere causas ecclesiasticas mixti, ac meri imperii. Item Clem. 1, § Propter quod, de Hæretic. ubi similis concessio juris habetur circa inquisitionem, et punitionem hæreticorum. Item cap. ult. de Offic. ordinarii, ubi illis, quibus ex officio conceditur in certis casibus absolvere ab excommunicatione ob persecutionem clerici contracta, generatim conceditur hujusmodi absolutionem aliis committere, cum viderint expedire.

83. *Et solvitur instantia.* — Nec dicas tales canones loqui solum in casibus specialibus; ut puta hæresis ob gravitatem atque perniciem hujus criminis, et absolutionem ab excommunicatione ob favorem animæ, et hujusmodi: ac proinde hinc non esse inferendam generalem differentiam inter canones, et leges, contra cap. I et II, de Novi oper. nuntiat. Nam contra est; tum quia